Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2001
Quelle:
Copyright:

aliud docet, quam quod habet verbum doctrine ipsius euangelice. plenum gratia et ueritate. gratia excitante ac roborante uoluntatem. ueritate illuminante rationem. gratia uoluntatem preueniente ac subsequente. veritate rationem dirigente atque ducente in viam pacis ad patriam lucis eterne. in qua clare videbitur et gustabitur summum bonum. quod est pater et filius et spiritus sanctus deus unus ac trinus. Ipsi gloria in secula seculorum amen. Intercepta est media haec *Exhortatio* miniato Disticho:

Lecta sat eximia presens hec philosophia
Doctrine triplicem cuiuis prestabit honorem.

Quod rectius ad calcem *Dialogi Abaelardi* locandum fuisset; τὸ *triplicem* enim ad Doctrinam *trium* Interloquentium adludere videtur.

DXXII.

126 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 222. f. currente calamo scriptus continet Farraginem *Opusculorum Theologicorum* praecipue *Georgii Cassandri* Belgae Theologi, pacis inter dissidentes Ecclesias studiosissimi, sed, ut fit, malam a Partibus gratiam meriti, qui ✠. *Coloniae* 1566. Ea hic ordine indicabimus. I. *fol.* 1. Απογραφον *annotationum marginalium manu propria M. Wesseli in Librum Petri de Alliaco De potestate ecclesiastica, et in opusculum Gersonis de indulgentijs.* Recensum jam alibi.

II. *fol.* 2. p. 2. Articuli sex *M. Henrici de Oyta* an. 1371. a *M. Adalberto de Bohemia* ad *Gregorium* XI. delati. Sunt vero: In gravi peccato constitutum per opus bonum, ad quod tenetur, novum peccatum committere. Peccata dimitti a Spiritu s. non a Sacerdote. Doctum Confessarium non habentem jurisdictionem praeferendum indocto habenti. Jure tantum humano et positivo non posse quemvis a quovis sacerdote absolvi. Vere esse praeceptum, quod alicui est vere consilium. Praeceptum caritatis Dei perfecte posse in via impleri. Subjicitur: *De his articulis post longam disceptationem absolutus fuit a quatuor cardinalibus, quibus pontifex totum negotium commiserat.* Nihil de hoc negotio apud *Scriptt. Universit. Vienn.* in vita *Henrici* P. I. p. 58. sed *Possevinus* in *Appar. sac.* meminit *Articulorum contra quendam M. Albertum*, quem ego eum puto, de quo ad *Cod.* DXLIII. et DXLVII. dixi, quique cum *Henrico ab Oyta Parisiis* aut etiam *Pragae* collisus fuerit, antequam hic ad plantandum cum *Henrico de Hassia* Gymnasium *Vindobonense* evocaretur.

III. *fol.* 3. *Exemplum literarum ab Oxonio missarum de disputatione*